

sentiant, sed quid veteres senserint, maxime quaerimus.
Audiamus ergo ipsos ICTOS nostros. Et primum qui-
dem prodeat

PAVLVS,
cuius e libro VII. ad PLAVTIVM haec nobis
seruauit TRIBONIANVS. a)

*Bonae fidei emtor non dubie percipiendo fructus, etiam ex
aliena re, suos interim facit, non tantum eos, qui diligen-
tia et opera eius peruerunt, b) sed omnes, quia, quod ad
fructus attinet, loco domini pacne est.*

Sed &

POMPO-

a) in L. 48. pr. D. de acquirendo
rer. domin.

b) Sunt quidem, qui pro per-
uenerunt legi malunt: prouenerunt,
quod video etiam doctissimo FRI-
CKIO placuisse, qui in differt. de
iure bonae fidei possessoris circa fructus
e re aliena perceptos, quae Helmstadii
a. 1769 prodiit, §. 9. pag. 26. in
not sub lit u. M. Anton. Muretum
docere scribit, errore factum, ut
peruenerunt pro prouenerunt legatur.
Sed MURETVS in Comment. de ori-
gine iuris in EVERH. OTTONIS
Thesauro iur. ciu. Tom. IV. p. 174 (is
enim locus est, quem minus recte
indicauit vir doctus) non docet,
sed dicit id tantum. Nam ubi
POMPONII verba in L. 2. §. 42 D.
de O. I. pro cuius scriptura, auctoritate
veterum librorum corrigit, & le-

git: per cuius scripta, haec addit:
Contrario errore interdum ex pro-
fa?um est per, vt in pr L. bonae fidei
emtor 48. D. de acquir. rer. dom. per-
uenerunt, pro prouenerunt. Nobis
vero, quos lectionis florentinae
religio retinet ab omni correctio-
ne, quae temeraria videri pot-
erat, haec minus placent. De
POMPONII quidem correctione
hoc loco non attinet dicere, & po-
terat forte facilius ea tolerari,
quum veterum codicum auctori-
tate nitatur, de quo vid. BYN-
CKERSHOECK in Praetermissis ad L.
2. D. de orig. iur. Operum Colon.
Allobrog. editor. Tom. I. pag. 298.
Sed in hac lege nihil certe mutan-
dum. Quamuis enim rectius for-
te & melius scripsisset PAVLVS
noster: prouenerunt, tamen, quum